



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Tractatus De Necessitate Et Modo Ministrandi Sacramenta Tempore pestis

Chapeauville, Jean

Mogvntiæ, 1612

16. An etiam de peste suspectis?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41077**

consumendæ, propter periculum contagionis, sane reuerenter asseruandæ sunt, quia sub eis manet Christus, ea vero quæ tales species contigerunt vel comburenda vel purificanda sunt, iuxta ea quæ habentur in regulis (a) Pii Quinti in Missali.

a §. Si sacerdos euomat.

QVÆSTIO XVI.

An etiam de peste suspectis?

Quæstionis explicatio.

**S**uspecti sunt de peste, vulgo, neque immerito, quotquot commorantur in ciuitate peste infecta, maxime si grassetur pestis & plurimi quotidie moriantur; probabiles enim sunt causæ, huiusmodi vel iam peste infectos esse, etiam si morbus non appareat, vel certe peste facile corripì posse: occasione huiusmodi quæritur, an & his pastores teneantur ministrare sacramentum Eucharistiæ?

*Responsio.*

**T**eneantur, si modo rite dispositi & preparati sint, quia pastores tenentur dispensare sacramenta, quoties subditi illa legitime & rationabiliter petunt. De peste autem suspecti rationabiliter illa petunt, ergo. Maior est (b) Adriani, & fere omnium Modernorum. Minor patet, quia

b *supra*

quia hi omnes sunt in periculo mortis, in quo omnes tenentur se munire sacramentis, vt ex antedictis notum est.

Dices: Poterunt etiam post meridiem & forte sumptum cibum ministrare suspectis, sicut & reliquis iam peste infectis?

R. Si pastor ingressus ædes peste infecti reperit famulos & famulas, & alios post cibum & potum sacramenta petentes, quod sibi à peste timeant, non solum potest, sed etiam tenetur illis ministrare, præsertim pœnitentiæ & eucharistiæ, quia licet hoc sacramentum etiam non ieiunis in mortis periculo ministrare, illi autem, etsi adhuc sani, vt apparet, sunt, tamen in periculo mortis, cum pestis quotidie plerosq; omnes corripit, & statim morti tradit, vt initio diximus.

Dices secundo: Licebit ergo passim in ciuitate peste infecta ministrare hoc sacramentum post meridiem & post sumptum cibum?

R. Quod post meridiem detur illis, qui non comederunt, non est difficultas, quia licet (a) consuetudine inductum sit propter maiorem reuerentiam sacramenti, vt celebrans debeat ante meridiem inchoare & absoluere missam, communicans tamen & non celebrans potest omni hora

commu-

*a Gabr. lect.  
14. in cano-  
nem missæ.  
Maior in 4.  
dist. 13. q. 4.*

communione sumere: De aliis difficultas est, quæ prudenti pastoris iudicio pensanda est, potest enim talis esse aëris constitutio, ut omnes de ciuitate merito pro suspectis haberi possint, quibus consequenter alias rite dispositis, posset hoc sacramentum, etiam post sumptum cibum dari, ut colligere est ex illis, quæ initio huius tractatus diximus.

### QVÆSTIO XVII.

*An etiam sibi ipsis peste infectis?*

Quæstionis explicatio.

**C**Alus est talis: Pastor concepit pestem, nec est iis viribus, ut possit sacrificare, neque est alius sacerdos qui possit aut velit viaticum illi ministrare, habet vero præconsecratas hostias, quas pro communione suorum subditorum reseruabat, tenebiturne sibi ipsi ministrare, an vero à perceptione viatici excusabitur?

*Responsio.*

**S**I existimet sibi necessarium viaticum, puta, quia absentibus aliis sacerdotibus non potest aliud sacramentum recipere, tenetur sibi ministrare, quia in tali casu teneretur alteri ministrare, ergo & sibi ipsi. Confirmatur, quia cum sit pastor, habet

Y                    ius